

41
PIUS PP. IX

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Pia opera Dei honori et animarum saluti suscepta, cum ea canonice id est de Ordinariorum approbatione peragantur, et benigno favore prosequi, et sacris indulgentiis ditare solemus. Idcirco, ut nuper accepimus, Parisiis primum tum etiam Lugduni Pia Societas canonice constituta est nomine Adorationis Reparatricis tribus classibus constans, scilicet sororum Regularium quae tribus obedientiae, castitatis, et paupertatis votis simplicibus obligatae una eademque domo insimul vivunt; sororum saecularium quae duobus tantum ex praefatis votis castitatis et obedientiae adstrictae domi suae degere possunt, ac denique associatarum ut vocant; quarum singulis peculiaria officia pietatis assignata sunt: Itaque porro, cum Venerab. Fratres Archiepiscopi Lugdunen et Parisien approbatae a se Nobis commendaverint, Nos eo quem diximus favore, et indulgentiarum muneribus prosequi consuevimus. Quamobrem dictam Piam Societatem ejusque propositum fructuosum ac sanctum in Domino laudantes, omnibus et singulis sororibus Regularibus vel Secularibus dictae Societatis ubicumque illa instituta sit vel in posterum institutur, quo die habitum instituti receperint, vel professionem, quam vocant, peragant, vel quoad associatas, in illam Societatem admittantur, nec non quibus diebus hora una continenter ante Augustissimum Eucharistiae Sacramentum in Cappella Instituti venerationi expositum oraverint, vel denique duobus aliis uniuscujusque mensis diebus per respectivos Ordinarios designandis Cappellam instituti vel aliam Ecclesiam publicam visitaverint, si vere poenitentes et confessae ac S. Communionem receptae pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam: similiter cuique Sodalium huius classium memoratae Societatis, quo die vere poenitentes et confessae S. Eucharistiam sub viatici forma sumpserint, et item sic ut poterunt, ut supra, oraverint, plenariam item omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ossensae. In contrarium facien non obstan quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VIII. Julii. **M D C C C L I I I.** Pontificatus Nostri Anno Octavo

Pro Dno Card. Lambruschini
J. B. Brancaloni Castellani Substitu